



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. III. In Republica virtutem necessariò colendam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Finis Reipublica.

Iustitia pri-
maria pars
felicis
publica.

Iudiciū ex
priuata vi-
ta in Rem-
publicam
transfertur.

Felicitas ci-
uitatis im-
perfecta.

Felicitas si-
ne externis
bonis in Re-
publica esse
vix potest.

Felicitas
terrena ad-
tendit, &
vberem
supernā di-
rigi debet.

blicum bonum, Vniuersorum, & singulorum bea-
titudinem, civilem, humanam, in virtutis actio-
nibus, consistentem; etiam diuinam, ad quam hu-
mana tendit; & sine qua humana vix obtinetur;
his adiungo ordinem externum, pacem, aut præ-
sidia belli, abundantiam opum, effluentiam com-
meatus. Cum singuli sibi non sufficiant, in vnum
conspicant, vt honeste, pacate, facile, & copiose
viuant. Non aliter nobis bonum publicum Aristo-
teles describit. *Ἔστι δὲ πολιτικὸν ἀγαθὸν τὸ δίκαιον. Τὸ οὖν
δὲ ἐστὶ τὸ κοινὸν συμφέρον. Bonum civile est ius, seu iustum,
hoc enim omnibus conueniens est.* Intelligenda vt illa
verba de insigni parte felicitatis; nam fere vbi iusta
est administratio, reipublica maxime floret. Alio-
qui idem Aristoteles lib. 7. politicor. cap. 2. Ean-
dem hominis vniuersiusque, & ciuitatis beatitudi-
nem esse affirmat. Verba eius sunt. *Vtrum autem
beatitudo sit eadem dicenda vniuersiusque hominis, atque
ciuitatis, nec ne, reliquum est vt explicemus. At etiam hoc
in promptu est. Omnes enim eandem esse vno ore concesserunt.*
Nam quicunque in diuitiis bene viuere de vno homi-
ne ponunt, hi etiam ciuitatem, si sit locuples & copiosa,
beatam predicant, & quicunque vitam tyrannicam cete-
ris omnibus anteponunt, hi etiam ciuitatem plurimis impe-
rantem, beatissimam pronuntiant: & si quis vnum ali-
quem virtutis nomine maxime admiratur & probat, hic
& ciuitatem, quo erit virtute ornatior, eo dixerit esse bea-
torem. Sed hac iam sunt duo, quæ considerationis indi-
gent: vnum vtra vita sit magis expetenda, ea quæ in com-
mune reipubl. administrationis & ciuitatis traducatur,
an potius peregrini propria & à civili societate segregata ac
soluta: alterum, quæ reipubl. administranda forma, & quæ
ciuitatis affectio, siue ordinatio, siue (vt ita dicam) dispo-
sicio, optima sit locanda, siue omnibus optabile sit & expe-
rendum, in civili societate versari: siue aliquibus quidem
minime, sed plerisque etiam.

Et cap. 3. *ἡ δὲ ἀριστεία αὐτὴ ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία, felicitatem esse
actionem, concluditque tandem, eandem vitam o-
ptimam esse finem singulatim vnicuique homini, &
toti reipublicæ.*

§. 5. Duo tamen hic obseruanda propono. Pri-
mum est, Felicitatem quam definimus, admodum
esse imperfectam, vix nomine felicitatis indigitan-
dam; nam & inconstans, & insincera, multorum
malorum interuentu ac missione est contaminata;
via potius ad veram felicitatem, felix tamen & ille
dicitur, qui in via est felicitatis, ita quoque Pro-
pheta regius pronuntiat. *Beatus vir qui non abiit
in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in
cathedra pestilentia non sedit, sed in lege Domini voluntas
eius.* Ea tamen felicitas in bonis voluptatum, opum,
& honorum non est, quæ à bono mentem auocant,
non ad finem deducunt.

Secundum monitum est. Inchoatæ felicitati, seu
actionibus virtutum iungere me pacem, opes, mu-
nitiones, dignitatem; non quasi sine his felices esse
non possint. Certe pauperes, afflicti, martyres, ho-
rum contemptu, atque amissione feliciores fuerunt.
Sed quia hæc in Republica quantuntur; bene &
cum virtute feruantur; nam paucorum est illa for-
tutudo, vt lubentes volentes sustinere calamitates
possint. Omnium igitur incolumitati studendum
est. Quamuis autem Stoici integritatem membro-
rum, sanitatem, robur, honorem, opes, bona esse
negent, sancti tamen patres, etiam ista inter bona
Dei dona, quæ & petere, & pro quibus gratias a-
gere oporteat, recensent. Nam his ad veram bea-
titudinem præsidia vti licet, & cum absunt, ista
sæpe ob inopiam in scelera miseri præcipitantur.

Hic igitur finis Politicus est, sed vterius tamen
tendit, & vberem felicitatem vestigat, cœle-
stem nempe. Ad hoc enim instituta est terrena ci-
uitas.

uitas à Deo, vt Quirites suos cœlesti ciuitati tran-
scribat. Hinc fit, vt separari non debeat terrena
Reipublica ab Ecclesia, sed oporteat summam esse
vtriusque coniunctionem. Neque naturale bonum
quisquam obtinebit, & virtutes morales, sine diui-
nioris gratiæ adiutorio.

Nemo id fieri doceat, non est hæc factum;
omnia plena vitiis, & sceleribus fuere, vbi gratia
Dei agnita non fuit. Docet Christiana nos religio
sine speciali diuinæ bonitatis affluxu, nec ad per-
fectas virtutes, etiam humanas, & morales perue-
niri, nec diu peccata cuitari. Ipse Aristoteles lib. 1.
Ethicor. cap. 9. & lib. vlt. cap. vlt. *Virtutes assequi
diuinum munus esse docuit.* Sed ea de re deinde suo
loco agemus. Nunc hoc statuamus cum Aristotele
lib. 7. politicor. cap. 18. *Ἐν δὲ ἀριστερίᾳ ἔστιν εὐδαιμονία,
καὶ ἡγεῖται ἀρετῆς πολιτικῆς.* Felicitatem esse actionem,
& vium virtutis perfectum: Additis illis adiuven-
tis, quæ virtuti publice conducunt.

Opus gra-
tia Dei, et-
iam ad per-
fectionem
virtutum
moralium.

CAPVT III.

In Republica virtutem necessario colen- dam esse.

§. 1. **V**IRTUTEM è Republica nemo conetur
tollere; res ardua est, angustus ad eum
trames ducit, duce opus habet animoso, & docto-
re, vitia sine magistro discuntur, & pronos in de-
cliuem trahunt. Virtutem vt summum Reipublicæ
thesaurum Regibus, optimatibus, populoque com-
mendo. Virtus regna, vrbes, prouincias, tempe-
rat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos,
liberosque dispensat officia. Virtutem sectentur
principes, populusque; Sed præcipue princeps;
cuius virtus tria habet insignia, nam & plurimis
prodest; & conspectissima est, & exemplo, non
facto duntaxat, reipublicam instruit, conseruat,
corrigit.

Virtus ar-
dua est, &
facile tolli-
tur.

Prodesse plurimum nemo ignorat, cum legamus
magna vitia cum summa potentia orbem perdidisse,
vnius boni principis virtute cunctos esse recreatos,
Quod enim sunt diluuiā, incendia, fames, & pe-
stilentia, hoc sunt magistratus improbi, vtque tem-
pestates & publicum latrocinium ferre coguntur
prouincia, ita damna malorum principum: quod
autem est fertilitas terræ, quod mari ventus secun-
dus, quod sol mundo, hoc præstat Reipublicæ
princeps virtute præditus. Qui ita secum loquitur.
*Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui deo-
rum (Dei) interris officio fungerer: ego vite, necisque gen-
tibus arbiter: qualem quisque statum, sortemque habeat in
mea positum est manu, hoc igitur agam, ne cuiquam no-
ceam, prosum omnibus.* Res sacra est patria, nocere illi
sacrilegium est, sed patriæ nocet, qui singulos offen-
dit, qui autem est in patria cum potestate, nisi sin-
gulos adiuvat, potestate non recte vitur.

Ex moribus
magistra-
tus fortuna
fere populi
pendet.

§. 2. Verum præcipuum principum decus est in
exemplo. Fidelissimum præcipiendi genus est, ex-
emplis docere; Exemplo enim monitatur virtus,
non suadet. Heliotropion, & alia nonnulla her-
bæ ad motum solis perpetua conuersione flectun-
tur, & populus in principum ac optimatum mores
intentus exemplo trahitur; Sed validus, cum à vir-
tute receditur; quia illecebræ à tanta auctoritate
venientes pudorem secum non adferunt, sed ha-
bentibus abstergunt. Vere dixit Nazianzenus: *Sub-
ditos facilius præceptorum vitia, quam virtutes imitari.*
Itaque & illud verum est; Plus exemplo nocere
principes, quam peccato. Solent enim esse castra

Magna vis
exempli in
principe,
sed effica-
cior ad ma-
la.

simillima regi, & quia videntur magistratum gesta improbare, qui contrariam vitam sectantur, id eo periculosissime peccant magnates, quorum scelera in aliorum ruinas nascuntur. Valde itaque laudabilis est bonus princeps, cuius illa est conditio, ut recta facta habeant, ex aliorum aedificatione duplicem mercedem, & delicta ex subditorum depravatione maiorem penam. Nec tamen excusandus cuius, quantum illius vitiis princeps exempla praestiterit, quamvis alieno facto vulnerata respublica in vitia praecipitauerit; nam & ille, quia membrum est, suo morbo non solus sibi grauis est, sed totam Rempublicam facit deteriore, & suae tabis contagione vicinos inficit. Quamquam autem grauior morbus est, qui descendit à capite, molestior tamen saepe est ille, qui haeret in membris. Videmus indies quomodo priuata augeantur, & externa vitia in Republica pullulent. His nihil validius opponi potest, quam exempla magnatum, & grauiorum ciuium, quae poenis, & legibus fortiora sunt. Quae autem solet esse in principe mutatio, eadem in populo consequitur, sed celerius quae est ad malum.

Principis
virtus du-
plicem mer-
cedem, vi-
tia dupli-
cem penam
habent.

Multoties
bit, sed nul-
lum excu-
sat exemplum
malum.

Sine exem-
plo etiam
vitia di-
scuntur.

Aula Chris-
tianorum
principum
saepè officina
scelerum.

Bonas leges
aule licen-
tia oppri-
mit.

Deum colat
Respublica.

Deinde principes ac totam Rempublicam in hoc incumbere magnopere conuenit, ut inter contraria vitia maxime ad virtutem eluctentur, nisi enim sedulo principis obstat, & Respublica seueritas, totum populum quasi torrens, consuetudo in liberum viciorum campum deferret. Multi solent esse in aulis, athei, impii, simulators, ambitiosi, ita cauendum tanto magis principi, ne consuetudine eorum deterior fiat. Nam qui inter malos bonus perseverat, eum egregie bonum esse oportet.

§. 3. Pudet dicere, nec tacendum tamen est, in aulis principum Christianorum eas esse saepe corruptelas, ut viciorum procuratores, & libidinum, ebrietatis, vanitatis instigatores sedem in illis collocasse videantur. Quoties audiui ex aulicis, non posse se vitam eam tolerare diutius, continuo potandi vsu vires obrui, ingenium dilui, mortem celerari, querebantur, & bibebant; magnamque tardiorum, & febrium cohortem ebibebant. Hoc est malum in aulis summum, quod exempla manant in vulgus. Lata fuit publicis comitiis necessaria Germanis lex, de non propinando; non ad aequales haustus adigendo, seruari poterat, sed in prima voce oppressa est, aulæ licentia; nec deinde nisi per ludibrium vsurpata.

Vtinam non id in nostram Rempublicam conueniat, quod in Romanos mores, de quibus Tacitus. Vix artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiiorum, quicquam probi moris reseruetur.

§. 4. Respublicæ etiam prima diuini cultus cura esse debet; quia sub vno Deo est, ab eo solo corrigi potest; cuius si venerationem, timorem, amoremque publice repudiet, non est, quo in viam deducatur, vitiosam se esse parui pendet; si impune abiturum peccatum arbitretur. Nec alia res perdidit summas potestates, quam libertas peccandi. Hanc in priuato libertatem, paupertas, legum metus, imminens accusator, vicinus irrisor coerceat, ac frenat, in magistratibus, nisi Dei reuerentia compefcat in publica dedecora erumpet. Sub Deo igitur solo agonotheta, & iudice stant, qui respiciunt

Compositum ius, fasque animi. sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto,
Hoc cedo, ad moueant templis, & sarre litabunt.

Non enim cerimonias, sed incontaminati pectoris puritatem diuinum numen exposcit; agnouit &

illud eloquentia magis, quam vita excultus animus illius, qui dixit:

Non boue mactato caelestia numina gaudent,
Sed qua praestanda est, & sine ueste, fides.

§. 5. Quarto, finem quaerimus, ille in virtute est, dum viuimus, in premio virtutis, dum morimur, aut potius dum ad immortalitatem transimus. Hanc si respublica negligat, praeter viam currit, & laborat quidem, sed fructu laboris excidit, sibi denique molesta, & in se collisa, vel vitiis suis opprimetur, vel externo hosti cedit in seruitutem. Hic exitus fuit omnium, omnium inquam Rerum publicarum, cum in suam potestatem leges mali mores redegerunt, cum leges sine efficacia ad parietem figebantur, mali mores miseris illis insultabant, & sublato vexillo, quadrato agmine, arcem libertatis ingrediebantur.

§. 6. Denique ad virtutem complectendam, vitiumque fugiendum naturale conscientia nostrae iudicium impellit; neque enim iucundissimo fructu vnquam opus bonum priuatur, nec sine morsu sauo scelus admittitur; nam admitti demum magnitudo, atrocitasque intelligitur. Violati enim quocunque modo officii tristis cogitatio mentem angit, exprobratque; seruati iuris & honesti cum quiete & gaudio approbatio erigit, & ad meliorem inflamat. Neque hac auellit impietas potest, quin furdo semper verberare pulsset, adeo ut non animum modo, sed corpus induper vastet, atque affligat.

Testimonia sunt illa cunctis omni exceptione maiora; quia sibi quisque illa denunciat, sibi quisque ita loquitur, & conuinci se sentit. Vix Seneca Ep. 105. Securitatis magna portio est, nihil iniqui facere. Confusam vitam, & perturbatam impotentes agunt; tantum metuunt, quantum nocent: nec vilo tempore vacant. Trepidant enim cum secerunt, haerent, conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat poenas, quisquis expectat: quisquis autem meruit, expectat. Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum. putat enim se, etiam si non deprehendatur, posse deprehendi: & inter somnos mouetur, & quoties alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliuiscitur videtur, non satis rectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.

§. 7. Tuta igitur ab homine scelera esse possunt, secuta non possunt, à Deo autem nec tuta esse possunt. Epicurus ipse inter vna vim illam sentit. Ita scribit ad Menecce. οὐκ ἔστι τὸν λάτρεται τὸν πορνῶν, οὐδὲν ἔστι λήσσει, καὶ μὴν αὐτοῦ τὸν παρὰ τὸν λατρεται, καὶ μὴν αὐτοῦ τὸν παρὰ τὸν λατρεται. Quod ita Seneca exprimit Ep. 97. Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest. Οὐδέ τις ἴσως ἔστι μαρτυρῆς ἐστὶ πόλεως, οὐτὶ κατὰ τὸν δεῖν, ἄς ἢ αὐτοῖς, ἡ κατὰ τὸν τοῦ αὐτοῦ τὸν λατρεται. Nullus testis adeo formidabilis, neque accusator tam vehemens, quam omnium mentibus insidens conscientia.

Hanc aufer à priuato, à senatore, à rege, omnes in malam mansionem compegeris. Anter à republica, vnam facies ex tot gentibus carnificinam. Quod igitur ipsa natura loquitur, hominem exiit, qui negare sustinet. Principem autem volo, qui non modo se non metuat, sed in publico etiam viuat, qui latere non desideret. Qui id sibi frequenter inculcat; quod secretum putas, rumor populi est, postremus intelligis factum, quod impeditum oportuit. Audi princeps Romani principis Confiliarium, Senecam Ep. 43. Tunc felicem te esse iudica, cum poteris in publico viuere, cum te parietes tui regent, non abscondent: quos plerumque circumdatos nobis indicamus, non ut tutius viuamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores estimes nostros, vix quemquam inuenies, qui posuit aperto ostio viuere. Iamitores conscientia nostra, non superbia opposuit.

Sic

Ciuitas dū
virtutem
deserit sine
suo excidit.

Conscien-
tia boni
malique
iudex est.

Nulla late-
bra conscien-
tiam tutam
faciunt.

In Eculeo
est, que tor-
quet con-
scientia.

Principes
publica per-
sona sit in
publico.

Sic viuimus, ut deprehendi sit, subito adspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxiosa, atque sollicita est. Si honesta sunt quae facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire cum tu scias? O te miserum si conuenis hunc testem.

Virtutem igitur colite, cuius haec etiam est praerogatiua, ut qui eam non imitantur, tamen admittantur & suspiciantur, ut calamitate non tollatur, sed inter utramque fortunam immobilis persistat.

CAPUT IV.

Impia Machiaueli doctrina refellitur.

VITIA in proclui sunt, cadere nemo docet, & tamen quotidiani sunt lapsus. **V**ITIA magistro opus non habent; quia exempla obuios semper ferunt, omne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles sumus; quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite, praecedit: Non proxi fumus ad vitia tantum sed etiam praecipites. Immo ut exprobrat Demettriano Cyprianus: Inter ipsa aduersa, quibus vix coartata & conclusa anima respirat, vacat malos esse, & in periculis tantis non de te magis, sed de altero iudicare. Indignantini indignari Deum, quasi aliquid boni male viuendo mereamini, quasi non omnia ista, quae accidunt, minora adhuc sint, & leuiora peccatis vestris.

Turpis vitiorum doctor Machiauelus. Verum hoc peculiare malum est nostri saeculi, habere publicum vitiorum doctorem, & suffragantibus multorum moribus etiam celebrem. Ille est Machiauelus. Qui ita principem ad virtutem instituit, ut tamen & vitia permittat, & virtutibus illa velut regno utiliora anteponat. Eum igitur audiamus. In principe, cap. 15. Nemo, inquit, non satebitur scio, fore rem summis laudibus celebrandam, si omnibus his princeps esset ornatus, quae ex iam dictis bona existimantur.

Vitia noxia sunt omnia. Verum cum nec haberi, nec aduersante humana vita conditione, seruari possunt, necessarium est vii ea prudentia, quae eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimi possit. Caveat etiam ab iis, si fieri possit, quae nihilominus non auferent: sed si effici non possit, minore detrimento omitti possunt. Nec multum sane laborat, si in eorum vitiorum infamiam incurrat, sine quibus dominatum facile tueri possit.

Peccata qui vitia estimat infra Philosophos est. Nam si diligenter animo usquequaque reputabitur, reperiuntur quadam, quae virtutem praese ferre dicantur, quae tamen si sequaris, id tuo magno malo fit: contra vero nonnulla deprehenduntur a spectu vitiosae, quae si assumas, in tuam securitatem, & incolumitatem sinu reditura. Et cap. 16. Atque iterum si quis diceret multos extitisse principes, qui suis exercitiis res magnas gesserunt, qui tamen illa beneficentia excelluerunt: dicendum est Principem vel de suis, vel de aliorum bonis sumptus facere.

Si primum, parcus esse debet: si secundum, necesse est ut nullam partem libertatis praetermittat. Atqui Principi in expeditionem exercitus ducenti (qui exercitus praeda, direptionibus, tributis sint alendi) alienaque tractanti, necessaria est haec liberalitas, alioquin milites illum non sequerentur. Quod autem non est tuum, nec tui populi, id liberalius conferri potest: uti a Cyro, Cesare, & Alexandro factum constat. Non enim id, quod de alienis bonis infamis, tibi existimationem adimit, imo cumulatiorem reddit: sed a propriis opibus absumptis tibi detrimentum venit.

Hannibalis felicitatem ex seuita effradit. Cap. 17. Suadet ut id agat, ut potius metuant, quam ament. Et principi ait, iam in exercitu versanti, atque multitudinis procuratiorem habenti, omnino statuendum est, ut inhumanitatis nomen pro nihilo ducat. Itaque etiam gestas res Hannibalis illius efferae seuitiae tribuit. Cap. 18. Fallere etiam docet, & simulare.

Haec pronis auribus hauriuntur, quae olim etiam sine doctore peragebantur, sunt tamen omnino falsa, & reipublicae perniciose, de quibus hoc, & sequenti libro saepius agendum erit.

S. 2. Nunc ex eo ipso contra ipsum agam. Lib. de rep. cap. 9. Bono euentu, qui ex cade Remi secutus est, factum Romuli putat excusari. Statuamus haec in mores induci, ipsumque Machiauelum occidi, ut eius collega solus sit Florentinae Reipublicae a secretis. Sit etiam ius alios occidere, rapere, peierare regni causa, nec modo hoc regibus, sed praetoribus, senatoribus, nobilibus concedamus, quae potest esse pax in tanta perturbatione Reipublicae? Decidat sententiam ipse, cap. 17. contra semet disertus. Nisi reges flammis fuissent expulsi Roma, necesse erat, ut mihi certe videtur, urbem debilitari, & pristinae virtutem roburque amittere. Considera enim quam prauis corruptisque moribus essent iam tum reges illi. Quod si eadem corruptela ad tertium usque successorem propagata fuisset, facile serpsisset etiam in populum, eoque infecto, nunquam potuisset ciuitas restaurari, & vires, virtutemque suam recuperare. Sed quoniam perniciem hac occupauerat quidem Reip. caput, membra cetera nondum infecta erant: porro, sublato pernicioso illo capite, reliqua membra sanari, & paria libertas conseruari. Pro certo enim statuere oportet, ciuitatem eam, quae principis imperio consueuerit parere, & in qua mores hominum plane sunt deprauati, non posse conseruare sibi libertatem, si eam occupauerit, ne quidem si vniuersa eius principis familia extirpetur: sed subinde nouis Dominis parere cogetur, qui se mutuo expellent: absque principe vero nunquam subsistet: nisi vnus aliquis forte in ea ciuis, extiterit: cuius tum virtus heroica, tum bonitas illam aliquandiu conseruet. Sed neque id quidem diutius durare poterit, quam vita eius, qui illam conseruat: ut Syracusanis occidisse nouimus: qui Dionis, & Timoleontis virtute diuersis temporibus libertatem conseruauerunt: sed iis vita fundis, sub antiquum tyrannidis iugum redierunt. Omnium vero euidentissimum est exemplum Romanorum, qui electis Tarquinio, rationem conseruanda libertatis statim apprehenderunt: sed interempto C. Cesare, sublatoque C. Caligula, atque Nerone, vna cum tota Caesarum stirpe, nec conseruare libertatem, nec eius aliquod principium introducere potuerunt. Cuius diuersitatis ratio ex eo tantum pendebat, quod Tarquiniorum tempore non essent corrupti populi Romani mores, sicuti postea C. Caesaris, Caligulae, atque Neronis aetate fuerunt. Id autem vel ex eo colligere potes, quod tunc ad conseruandum populi aduersus tyrannidem studium sufficiebat insurandum, quo iurauit nunquam se conseruaturum, ut quis Roma regnaret: sed interfecto C. Cesare, nec Bruti autoritas, atque seueritas, neque legiones ad Orientem dispositae, populum permouere potuerunt, ut libertatem quam ad primi illius Bruti imitationem in urbem introduxerat, constanti firmoque animo defenderet. Tanta scilicet corruptela infecti iam erant populi Romani mores, praesertim eorum, qui Mariana factionis fuissent: in qua cum C. Caesar principatum obtinuisset, plebem sibi conciliauerat, sensimque subiecerat, tanto artificio, ut iugum quod ceruicibus eorum imponebatur, non sentirent. Hoc Romanorum exemplum propositae disputationi conuenientissimum est: sed neque desunt exempla eorum populi, quibus id quod Romanis, nostra quoque aetate accidit.

Nam Mediolanenses & Neapolitani, quocumque modo seruitutis iugo liberentur, libertatem nunquam conseruare possunt: idque illis accidit ob deprauatos corruptosque omnium mores. Mediolanenses ipsi, mortuo Philippo vicecomite libertatem conseruauerunt: sed conseruare non potuerunt. Romanis ergo faustum fortunatumque fuit, quod eorum reges mox inolescere, & deprauatis moribus esse coeperint: nam ita factum est, ut expulsi fuerint antequam illa morum corruptela etiam in populum serpere orueret: quae si eum etiam infectisset, non potuissent tot plebs senatusque contentiones postmodum erigere, tam felicem finem sortiri, ut urbi profuerint potius, quam damnum vllum attulerint.

Virtute sublara non potest tolli libertas.

Vnius virtus magni, sed breue subsidium libertatis.

Improbabilium nobilium populorum accusatio.